

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

## XLI.

(Eidem.)

*Salutem in servatore Christo. Reverende & clarissime Domine Doctor, amice & frater charissime.*

Scipsi heri per tabellarium Francofurtensem, ad M. Ulrium fratrem, quibus in literis pollicebar, me hodie ad utrunque vestrum copiosius scripturum. Id quo minus nunc fit, festinatio Veredarii nostri in culpa, quem cum hodie primum audire potuerim, & jamjam ad Conventum Academicum abeundum mihi sit, cogor esse brevior, persequar tamen necessaria omnia. Omnino sperat Veredarius, vos interea literas meas, initio hujus mensis scriptas, quibus de vocatione M. Ulrici agitur, accepisse. Et si enim ipse ea hebdomade, qua ego illas dabam, Spiram profectus non est, sed alius quidam vices ejus peregit, tamen bonæ fidei hominem illum esse ait, seque curaturum promittit, ut illæ literæ ad manus vestras perveniant, si nondum pervenerunt. Valdè me angit hæc res, quam & Senatus nomine, & vestra etiã causa, non modò debui, sed etiam volui, atque etiam cupivi diligenter agere. Quanquam verò præscribere vobis nolo, neque possum, velim tamen M. Ulricum in hanc sententiam respondere. Quamvis malit ipse studia sua persequere, sitamen sit aliqua qualiscunque vocatio, quæ studiorum cursum, minus quam Diaconatus impediatur, non negare se operam patriæ, vel nunc, vel paulò post. Atque in eadem mecum sententia est D. Consul Liechtesteigerus, cum quo de toto negotio diligenter contuli. Literas tuas, quibus D. Doct. Chytræi & Hombergeri epistolæ adjunctæ erant, ante paucos dies uxor mihi reddidit, quæ eas, dum in thermis ferinis ego absum, acceperat, nimisque diligenter custodiverat, hoc est, ut facillè reperire eas non potuerit. Remittam autem eas quamprimum. Historia D. Parentis præter expectationem adhærescit, idque hanc maximè ob causam, quòd de controversia Zanchiana & Sturmiana nihil potero tam cautè scribere, quin edictum illud de silentio videar violare: sed emergit ex hac etiam difficultate stylus aliquantulum, & spero me brevi rem totam posse absolvere. Sæpe etiam disputo mecum, quia illud præceptum de silentio Sturmius non servavit, planè me eodem jam non teneri, vel potius solutum esse. Literas Philippi Cæsaris unã cum tuis accepi, sed non libuit homini maledico & mendaci, & impudenti respondere. Maledicum voco, qui non vereatur cineres Sanctiss. D. Parentis tui convellere, eique immisericordiæ crimen impingere, quòd facillè potuerit, sed noluerit in nostrum Ministerium ipsum cooptare. Mendacem, quòd cum pro certa pecunia vestes quasdam hic deposuerit, non vereatur ad creditores suos scribere.

M m m m 3

re, m

re, me ipsis suo nomine satisfacturum. Impudentem denique quod neque collecta elemosyna 40. amplius florenorum, neque, quod filium annorum novem ego mecum retinuerim, & adhuc retineam, contentus, aliquid præterea audeat flagitare. Quo autem loco res nostræ futuræ sint, conventus fortasse hodiernus docebit. Quantum ex non paucis Senatoribus cognovi, sperari potest, Sturmium eo programme, cujus in postrema epistola mentionem facis, plus sibi nocuisse, quam profuisse. Sed ista paulo post sciemus certius, teque faciemus certiores. Sal. reverenter ascribo D. M. Ulrico. Benè in DOMINO Reverende Dn. Doctor, & frater Charissime vale, Argentorato, 24. Octobris, 1581.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus.



XLII.

*Salutem in Servatore Christo. Reverende & Clariss.*

*D. Doctor, amice & frater plurimum colende.*

ET si Mag. Ulricus, charissimus frater, viva erit epistola, omnem enim ei rem copiosissimè exposui: volui tamen pauca hæc ad te exarare. Ac initio rectè ipsum fecisse arbitror, qui coram sese excusare, quam in suspitione apud quosdam (nobis enim ipsius excusatio abunde satisfecerat) hære. Neque deerit deinceps in hac Ecclesia locus honestus & commodus, ad quem vocetur. Equidem nihil malim, quam & ipsum honestissimè hic vivere, & te quoq; ad nostraduci posse. Quæ de re Doct. Erasmus & ego, jam semel atq; iterum collocti sumus, erimusque in omnem occasionem intenti. Scis autem istiusmodi consilia, si tempore minus idoneo suscipiantur, eventum fermè non sortiri, qualem volumus. Neq; istud eò scribo, quod via magis quam nostra interessè putem, ut noster sis. Multi enim subinde ad nos commeant, qui quo loco sis, significant; & si qua erit difficultas, ea profectò nonnulla erit, si rectè conjicio, quod Scholarchæ prætersuri sunt, se tantum stipendium dare non posse, quanto isthic doceas. Sed detur modò occasio, hanc & difficultatem quomodo superemus, videbimus. Historiam planè hoc anno absolvam, licet plurimæ subinde interveniant remora. Familia Hohenburgiorum pro Sturmio intercessit, quid impetraturi sint, res ipsa docebit. Non autem poterit Senatus sine summa nota levitatis decretum bis confirmatum, & in omnem jam Germaniam divulgatum retractare. Nos toties jam, sed frustra successorem

D. Pa-